

**Dissertatio medica inauguralis, de amenorrhoea ... / Eruditorum examini
subjicit Thomas Kincaid Wint.**

Contributors

Wint, Thomas Kincaid.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1807.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ge2w69ax>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMENORRHOEA.

DISPUTATIO MEDICA

FNATURALIS

DE

AMENORRHOEA.

12

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
AMENORRHOEA ;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
THOMAS KINCAID WINT,
JAMAICENSIS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. ORDINAR.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1807.

DISPUTATIO MEDICA
IN ANGULARIS

AMENORRHOEA;

DE
ANNUNTIIS SUMMIS NUMERIS
ET AUCTORITATE REPERENDI ABHODUM VITI
D. GEORGI BAIRD, S.S.T.P.
ACADEMIE EDINBURGENSIS PRÆLECTI;

RECTOR
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI EDINBURGENSIS
UNIVERSITATIS FACULTATIS MEDICÆ PRÆLECTI;
JESU GREGORI DOCTORI;

UNIVERSITATIS IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

PROPOSITUM EXAMINI SUBMITTIT
THOMAS KINCAD WINT
JALICENSIS

SCIENT. MED. EDIN. 1807. ORDINARI

Ed. 24. Jan. 1807. 1807.

EDINBURGH:
JAMES GORDON & CO. PRINTERS
1807.

VIRO ADMODUM REVERENDO,
MATTHÆI GARDINER

DE BOTHWELL,

SEMPER COLENDO,

DOCTRINA, MORUMQUE COMITATE,

ET VITA INTEGERRIMA,

ORNATO ;

OLIM

PRAECEPTORI SUO VENERANDO,

PER MULTOS ANNOS

AMICO JURATISSIMO,

ET CUI TUTELAE FIDELISSIMAE

OPES EJUS NUPER CONCREDITAE FUERE ;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,

ET MEMORIA BENEFICIORUM SEMPITERNA

ASTRICTUS,

SACRAT

AUCTOR.

VIRI ADMODUM REVERENDO,
MATTHEI GARDINER
DE BOWWELL,
SEMPER COLENDO,
DOCTRINA, MORUMQUE COMITATE,
ET VITA INTEGERRIMA,
ORATO:
OLIM
PRAECEPTORI SUO VERENDISSIMO,
PER MULTOS ANNOS
AMICO JURATISSIMO,
ET CUI TUTELAE FIDELISSIMAE
OPES SUAS INTELLECTUS CONFEREBAT TURRE;
HASCE STUDIORE PRIMITAS,
EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,
ET MEMORIA BENEFICIORUM REMITTIT
AUCTORIS
FACIAT

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

AMENORRHOEA.

CERTA naturae lege, cujus causa tenebris obvoluta adhuc latet, tempore quo pubescunt, fluxus sanguineus ex utero foeminarum profunditur, qui per multos annos constitutis intervallis redire consuevit, et senescente aetate omnino decedit. Hic, *Fluxus Menstrualis*, *Menses*, vel *Catamenia* nuncupatur, et humano generi proprius est.

Etsi autem consilium quo instituitur, vel leges quibus perficitur, nesciamus, hunc flux-

um haud rite procedentem, graves et difficiles saepe secum afferre aegritudines, quotidiana experientia plane docet.

Nemo igitur inficias ibit, quin mala ex hoc fonte vel recte profluxura, vel tandem insectura, summam medici attentionem optimo jure exposcant.

Tempus quo menstrua in iisdem regionibus incipiunt, redeunt, et finiuntur, in aliis foeminis alium est; in diversis autem terrae plagis vitam degentibus, differentia multo magis insignis contingit.

In hisce terrae partibus, menses ex anno aetatis decimo quarto ad duodevigesimum incipere solent; multa autem sunt exempla in quibus, sanitate omnino illaesa, serius prodeunt. Quatuor ab initio cujusvis evacuationis hebdomadis interpositis, menstrua recurrere consueta sunt; et circa annum aetatis quadregesimum quintum fluere plerumque desinunt.

Foeminae ita a natura comparatae sunt,

ut circa tempus quo haec menstrualis purgatio incipit, redit, et finitur, variis et haud levibus morbis subjiciantur; quos sigillatim exequi consilium fuit, perpensis primum iis quae in statu sano mensium eveniunt, quo varii ejus a sanitate recessus melius innotescerent: cum autem hoc in campum nimis patentem excurreret, et limites hujusmodi opusculis vulgo praescriptos exsuperaret, solita mensium phaenomena obiter solummodo attingere cogor; et nunc de malis quae ex iis praeter naturam retentis profluunt, dicendum est.

E mensibus diu retentis morbum saepe gravem, in multis exemplis nulla medici arte vincendum, vel in alios pessimi generis morbos denuo abiturum progigni, neminem latet. Non certe negandum est, quin signa multo mitiora hunc morbum utplurimum comitentur; cum autem hujusmodi casus medicorum ope vix egeant, de iis hic tantum disserendum est, in quibus morbus faciem graviolem induit, quae medici attentione dignissima est.

DEFINITIO.

CULLENO illustr. hunc morbum, menstruis nequaquam retentis, existere potuisse olim persuasum fuit, et igitur sequentem ejus definitionem protulit.

“ Dyspepsia, vel rei non esculentae desiderium, cutis pallor vel decoloratio; venae minus plenae; corporis tumor mollis, asthma, palpitatio, menstruorum saepe retentio.”

Ulterior autem experientia chlorosin nunquam existere, dum menses adfuerunt, CULLENUM edocuit, et hinc verbum *saepe* in definitione supra tradita omisit; nec sane definitio hoc modo emendata ei omnino arri-
dere videtur. Sic enim habet: “ Sed nunc
“ dubito an species cachexiae quaevis sub ti-
“ tulo chlorosis, vel sub caractere hoc dato

“ recte poni posset.” Et iterum : “ Sed si-
“ mul fateri cogor, chlorosin hic minus recte
“ pro genere recensitam esse, cum pro symp-
“ tomate amenorrhoeae semper haberi possit.”

Ex argumentis igitur a se ipso allatis, chlorosin pro genere minime habendam esse satis patet ; et signa *amenorrhoeae emansionis*, quae in definitione sequenti comprehensa sunt, definitionem in alia nosologiae parte omnino supervacuam reddunt ; vel etiam eundem morbum sub diversis nominibus recensendo, ejus notitiam minus accuratam efficiat.

“ Amenorrhoea emansionis in puberibus
“ quibus post fluxus tempus solitum menses
“ non jam prodierint, et cum simul variae af-
“ fectiones morbidæ adsint.”

HISTORIA.

AMENORRHOEAE signa in diversis exemplis maxime variant; multum enim e morbi vehementia, duratione, et corporis habitu pendet. Quinetiam e nexu satis arcto qui hunc morbum inter et plurimos alios intercedit, quibus vel originem praebet, vel subsequitur, indicia ejus ita ambigua fiant, ut medicos usu artis minus versatos haud parum negotii facessant. Signis autem mox recensendis amenorrhoea plerumque stipatur, et iis clare insignitur.

Circa vel brevi post tempus quo menses prorumpere solent, aegra languet; motus, et omne exercitationis genus aversatur; de cephalalgia, vertigine frequenti, dorsi, lumborum, et pectoris doloribus conqueritur. Hysteriae symptomata, primum leniora, impetu autem frequentiore, vehementia, et

duratione graviora gradatim evasura, superveniunt. Cibi appetentia in utramque partem plerumque peccat, nunc imminuta, saepius vero adaucta est, et fere semper depravata. Multa enim quae bene valentibus fastidium crearent, nociva, minime esculenta, vehementer desiderat, et adepta avidissime clanculum devorat. Varia dyspepsiae signa urgent, quae forsitan non ab initio adsunt, sed e pravo diaetae genere et magna corporis debilitate pendent. Floridus color juventae et roseus genarum rubor evanescunt; totius corporis macies accedit, et color pallidus vel subviridis in ore resedit. Cutis in aliis corporis partibus fere flavedine tincta est, quae semper in pessimis morbi exemplis apparet. Quod superest, carnis speciem absimilem exhibet ex ea quae in aliis morbis macie comitatis apparet; flaccida enim, et tactu explorata, spongiosa reperitur. Oculi nitore solito orbati in orbitis sese recondunt, et annulo livido coeruleove, in inferiore orbis parte maxime conspicuo, circumdantur. Et sane talis est vultus species, etsi verbis haud facile describenda, ut semel observata nunquam ob-

liviscenda est; morbum non prodere vultu tam difficile est. Pedes oedemate intumescunt, necnon aliae corporis partes. Quodcunque animum vel leviter commoverit, respirationem multum perturbat: cor quoque sed rarius e nisu quovis subito et vehementiore palpitationibus correptum est: syncope nonnunquam supervenit. Arteriarum pulsus plerumque languidi, tardi, et debiles, interdum tamen citatiores et tremuli fiunt. Tussis molesta saepe adest, somnus interruptus vires parum reficit. Alvus maxime astricta purgantium ope assidue eget. Facies rubore fugaci saepe suffusa est, quae tamen brevi pallori vultus fere exanimi cedit; caloris quoque sensus varias corporis partes haud raro pervadit, qui quoque brevi artis frigore vix superando torpentes destituit.

Haec fere sunt signa quae corpus hoc morbo tentatum adoriuntur, et si omnia artis medicae molimina ad fluxum mensium provocandum irrita fuerint, graviora gradatim evadunt, asthenia quotidie ingravescit, et leuco-phlegmasia et anasarca supervenientes morti

viam sternunt. Praeter signa autem jam tradita, sunt alia et haud levia, quae ad mentis statum maxime pertinent. Aegra etiam a morbi initio hominum coetus declinat, et secreta petit loca in quibus moerori tacite indulgeat. Hic forsán primum pro amore solitudinis, quo puellae hanc circa aetatem saepe tenentur, haberi potest; tandem autem omnes ludos et solitas occupationes fastidit et odit, deserta locorum peragrat, et omnium aspectum et conventum gravi moerore oppressa refugit: omnis vis animi perit; omnibus voluptatibus posthabitis, solitudini et tristitiae se totam dat; et malis, quibus gravissime angitur, semper inhaerens, meliorum spem omnino abjicit.

Haec fere sunt signa notatu digniora quae hunc morbum comitantur, etsi omnia in unoquoque ejus exemplo nequaquam adsunt, et multi in conspectum veniunt casus, in quibus horum pauca solummodo adfuere; pleraque autem amenorrhoeae emansionis ita propria sunt, ut e paucis signorum supra recensitis

unà concurrentibus, vix ullus de natura morbi addubitandi locus supersit.

DIAGNOSIS.

Si signa quae jam enumeravimus in omni hujus morbi exemplo adessent, diagnosis nequaquam tantis dubiis premeretur, ac interdum revera evenit: tam insidiosae autem obrepat, et in tam multis exemplis aliis morbis supervenit, quibuscum confundi periclitatur, aliosve gignit qui idiopathici haberi possunt, ut nonnunquam minus peritos fallat, et errores haud semper innocuos pariat, quibus medicus famae pessime consuleret.

Phthisis pulmonalis, ostium vaginae occlusum, et vermes, morbi sunt, qui amenorrhoeam emansionis praecipue ementiuntur.

Inter phthisin pulmonalem et chlorosin diagnosis saepe haud parum difficilis est;

transitus enim unius in alterum interdum sensim fit, ita ut vix percipi potest; summi autem momenti est, ut hi morbi a se mutuo accurate secernerentur. In initio horum morborum similitudo inter eos maxime intercedit, et hoc sane tempore diagnosi praesertim opus est; si enim phthisis unquam medicinae auscultat, hoc solummodo ineunte morbo evenit; sin autem morbum chlorosin esse falso statueremus, et remedia huic aptata in auxilium vocata fuere, occasio phthisin summovendi nunquam reditura praeteriit. Dolendum est vix ulla signa pathognomica inter hos morbos incipientes existere; signis igitur quae nos interdum decipiunt, fidendum est.

Imprimis ad corporis habitum, vel scrofulae notas respiciendum est, quae phthiseos suspicionem injicere possunt; conditio aliorum ejusdem familiae, et labes a parentibus derivata, si ulla, sedulo perpendenda sunt. Etsi in phthisi cibi appetentia adaugeri queat, nunquam, ac in chlorosi, depravatur. In illo vultus decor manet, et oculi vividi et nitentes apparent; in hoc cutis

e viride flavescit, et oculi in orbitis subsidentes languent. In chlorosi pedes brevi post mali impetum oedemate saepe corripuntur; hoc autem nunquam in phthisi occurrit, nisi jam ad extremum perventum erit, et tunc alia signa minime dubia morbi naturam plane testantur. Si tussis ulla in chlorosi adfuerit, nullam expectorationem purulentam, neque thoracis dolorem comitem habet; tussis autem quae phthisin comitatur, puris sputo* plerumque stipata, aequae ac omnis inspiratio plenior, dolorem satis acrem movet.

In chlorosi quies nocturna insomniis horrendis, et molestissimo frigoris sensu, nullis fere stragulis summovendo, interpellitur; in phthisi autem somnus interruptus e tussi, dolore, et caloris sensu, qui nunquam non ad-

* Nonnulli expectorationem purulentam et febrem hecticam in chlorosi nonnunquam adesse contendunt; expectorationem autem in omni hujusmodi exemplo diversam esse, modo examini subjecta fuerit, patebit, nullam febrem hecticam hoc morbo detentas corripere satis constat; caloris enim et frigoris vices quae eas subinde invadunt, cum ea nequaquam confundi possunt.

est, pendet. In chlorosi alvus fere semper compressa manet; in phthisi autem alvus minus astricta, etsaepe diarrhoea urget. In his quoque morbis mentis status maxime variat; pro languore enim, et moestitia, quae puellis chloroticis contingunt, phthisi laborantes insolita vi mentis gaudent, et morbus gravis, quo conflictantur, quo minus bono et alacri sint animo, et meliorum spem acriter foveant, nequaquam impedit.

Inter chlorosin et vaginam imperviam, diagnosis satis in promptu est: in hoc enim fere omnia chlorosis indicia, facies scilicet flavescentes, appetitus depravatus, et alia huiusmodi, desunt; dum quaedam symptomata huic propria, plus minus urgent; ponderis et tensionis in abdomine sensus; dolores, parturientium instar, circa solita mensium tempora, sensim graviores evadentes huc spectant; et sane si haec rem ultra dubium haud ponant, partibus examini subjectis, quid sit mali certissime comperire possumus.

Inter vermes et chlorosin discrimen accu-

ratum ponere haud semper leve negotium est ; multa enim symptomata utrisque communia existunt. Bulimia verminantium pro depravata cibi appetentia, quae in chlorosi adest, assumpta, de his malis errandi causam prae-buit. Haec autem signa a se mutuo maxime distare crediderim ; etsi enim cibi desiderium in vermibus multum adauctum sit, verminantes nunquam aliena et non esculenta appetunt, quod tamen signum in chlorosis exemplis gravioribus usitatissimum est, et inter certissima ejus indicia recensendum.

Cum ascarides in intestinis nidulantur, diagnosis multo magis expedita est ; in dejectionibus enim fere apparent, et molestum ani pruritum cient. Cum autem taenia, et lumbrici praeprimis, adultos saepe exercent, in his de morbi natura saepe multo magis ambigitur.

PROGNOSIN.

FELICEM in hoc morbo eventum plerumque praedicere liceat; raro enim per se aegram e vivis rapit: si autem medicina haud tempestive in auxilium vocata fuerit, et morbus morâ invaluerit, timendum est ne, viribus omnino resolutis, hydrops insanabilis vel phthisis pulmonalis superveniret. Vires multum imminutae, tumores hydropici, et alia graviora morbi signa, hunc exitum maxime infelicem denunciant; qui tamen raro evenit; morbus enim, remediis idoneis perite adhibitis, fere cedit; et nisi inveteratus corpori penitus insederit, nullum mortis timorem incutere debet. Cibi appetentia redux, sanus color cuti restitutus, mens minus demissa, quae oblectari non omnino recusat, morbum brevi esse decessurum suadent.

CAUSAE REMOTAE.

PRAEDISPONENTES.—Cum notitia de natura mensium manca admodum sit et imperfecta, omnes hujus fluxus retenti causas remotas accurate expendere imprimis difficile erit.

Variae sunt sententiae quas medici de causis amenorrhoeae protulerunt, parum autem pleraeque nullam fere attentionem merentur. Opinio quae diu maxime invaluit, a CULLENO illustr. proposita est. Hunc morbum ex vi arteriarum uteri imminuta pendere opinatur, quae, ex defectu stimuli quem ovaria utero impertire debent, repetenda est. In quovis igitur amenorrhoeae emansionis exemplo, solitum uteri stimulum ex ovariorum vitio deficere persuasum habet; hujus vitii naturam et modum, quo summovendum est, se omnino ignorare profiteatur. Cum sanum organorum, quae generationi inserviunt, statum, ut debita tensio

universo corpori constet, omnino necessarium esse posuit; hanc theoriam concinnavit, qua torporis et flacciditatis, quae chlorosis se comites adjungunt, rationem redderet. Testes marium et ovaria foeminarum se mutuo multum referre, et haec, sexum foemineum, haud secus ac illae mares, ad munera veneris obeunda aptare affirmat. Huic quoque sententiae fidem conciliare videtur, quod homines stimulo genitali, castratione, orbat, molliores et torpidi fiunt.

Magna autem corporis debilitas, et multa alia amenorrhoeae phoenomena obstant quo minus iis accederem, qui hujus morbi indicia e talis stimuli defectu, et vi arteriarum uteri exinde languescente, pendere contendunt. Rationi enim multo magis consentaneum videtur, debilitatem totius corporis e solitis causis primum occurrere, cui debilitas uteri supervenit; et huic sane sententiae, debiles et exhaustae hoc morbo saepius tentatae fidem faciunt.

Altera opinio ad quam advertere lubet, a

Doctore HAMILTON, in libro eximio, quem de medicamentis purgantibus edidit, prolata est. Morbum in omni exemplo quod sese ei obtulit, ex alvo astricta pendere affirmat. Utcunque experientia et peritia auctoris, hanc sententiam temere et inconsulto nequaquam esse rejiciendam moneant, chlorosin huic causae deberi haud facile adducor ut credam. Concedendum certe est, hoc signum chlorosin saepissime comitari; effectus autem, ut mihi videtur, potius quam morbi causa, habendus est: effectus haud parum nocivus, et qui, praeter incommoda sibi propria, alia morbi signa haud parum adaugeat. Hic minime negare vellem, quin alvus diu et pertinaciter astricta, debilitatem inferendo, chlorosi originem nonnunquam praebeat; cum autem res ita se habet, inter causas excitantes recenseri debet; et sub hoc nomine de ea mentio postea facta est.

His praemonitis, forsan omnes causae quae huic morbo proclivitatem dant, ad duo capita sequentia relegari queant.

1mo, Generatim, ad hanc systematis humani actionem, arteriarumve uteri, speciatim, cujus causam ignoramus, quae tamen in omni foemina adest circa id vitae tempus quo menstrua proventura sunt.

2do, Ad magnam universi corporis debilitatem in eodem tempore adorientem, qua corpus ipsum, vel arteriae uteri ad munera impotentes fiant.

EXCITANTES.—Hujusmodi causis accenseantur omnes, quotquot totius corporis arteriarumve matricis vires infirment: hinc morbi praegressi, evacuationes nimiae; frigus, praesertim humore conjunctum, partibus inferioribus vel universo corpori admotum; defatigatio; pervigilium; diaeta tenuis vel aliter minus idonea; labor gravis et assiduus, praesertim si vita sedentaria accesserit, quam puellae in opificiis gossipinis detentae, gravissime expertae sunt, in quibus pessima hujus morbi exempla saepe videre est. Alvus quoque ita astricta ut corporis vires frangat. Etiam moeror, timor, omnesque alii affectus qui ani-

num deprimunt, ad amenorrhoeam emansionis concitandam valeant.

CAUSA PROXIMA.

Ex sententia, quam de causis hujus morbi remotis amplexus sum, quid de causa ejus proxima censendum statui, satis manifestum erit; hanc enim, secundum CULLENUM, vim vasorum uteri imminutam habendam esse puto. Etsi autem hanc opinionem teneam, minime in verba ullius mensium theoriae jurare addictus sum, nec refert utrum mera exhalatio, vel secretio ex uteri vasis, earum causa sit; quae enim supra retuli utrisque accommodata sunt; qualiscunque fuerit sententia de causa mensium proxima, certum sanguinis fluxum ad uterum necessarium esse concedendum est; quod si vasa infirmiora fuerint, menstruis rite provenientibus plane fit impedimentum.

MEDENDI RATIO.

TRIA medendi consilia semet nobis sponte obveniunt.

1mum, Illam peculiarem corporis actionem promovendo, quae in foeminis sub initio mensium adest, absolvitur.

2dum, Vires corporis firmando, et debilitatem qua tardatur haec actio peculiaris removendo.

3tium, In causis excitantibus tollendis versatur.

Primum igitur est, ei corporis actioni, qua ad menses proliciendas circa hoc tempus annititur, opem ferre.

Sub hoc capite emmenagoga veniunt perpenda, et de his multa sane proferre liceat;

vix autem operae pretium erit, quoniam inter omnes fere medicos nunc consentitur, nulla medicamenta existere, quae uterum stimulandi vi propria polleant. Castoreum, assafoetida, hydrargyrus, helleborus niger, sinapis alba, rubia tinctorum, ruta, et juniperus, hoc consilio usui olim commendata fuere; longior autem usus, et scientia rerum accuratior, haec in amenorrhoea fere omnino inepta esse edocuerunt. Hydrargyrus certe caute adhibitus, vi ejus stimulante, haud parum valeat; aloem quoque e stimulo, quem intestino recto praebet, uterum huic vicinum afficere posse minime dubium est. Ad hujusmodi stimulantia epispastica ad pubem admota pertinent; horum autem virtutibus parum fidendum est. Galvanismus et ictus electrici in plurimis exemplis maximo cum beneficio adhibiti fuere; cauto autem opus est. Nec sane hic Venus legitime culta praetereunda, quae utero stimulus validissimus est. His adjici queant remedia externa, quae sanguinis fluxum uterum versus, vel ad partes ei vicinas, promovendo prosunt.

Hoc consilio diversi pressuram arteriae femorali admotam laudaverunt, qua sanguis ad arterias hypogastricas uberius dirigatur; huic autem, etsi rationi satis congruum videatur, medici parum fidunt. Monent quoque alii, sanguinem ad aortam descendentem purgantibus, ambulatione, frictione, pediluvio, vel semicupio, quod magis prodest, derivandum esse; et ex his optimi effectus profluxerunt.

Hic ad remedia duobus aliis medendi consiliis, et praesertim proximo, accommodata advertere liceat, quae huic quoque optime inserviunt; proximum enim consilium absolvitur, debilitatem tollendo, quae conatibus naturae fluxum mensium molientibus obstat.

Huic varia remedia roborantia aptantur, ut e ferro praeparata, sulphas praesertim et carbonas ferri, tinctura muriatis ferri, murias ferri ammoniacalis, et aquae quae naturâ hoc metallo imbutae sint; his zinci et cupri praeparata quaedam accedant.

Doctor HOME, filius, viribus fortiter stimu-

lantibus et tonicis hyper-oxymuriatis potassae adductus, hocce medicamentum cum eventu admodum felici adhibuit. Myrrha, cinchona, et omnia alia amara et tonica bonos effectus ediderunt; horum autem efficacissima jam memorata fuere. Prae omnibus autem medicamentis roborantibus aquae chalybeatae forsitan anteponendae sunt; hae enim diversis oblectamentis, grata rerum varietate, loci mutatione, et exercitatione magis regulari ad quam invitant, ad vires corporis et salutis munera restituenda maxime conducunt.

Cum murias ferri vi insigni in hoc morbi pollere habetur, aqua, eum copiose solutum tenens, anteferenda est. Hujusmodi aqua apud *Peterhead*, in septentrionali hujus insulae parte, invenitur.

In amenorrhoea ad *diaetam*, *aëris statum*, *exercitationem*, et *mentem demissam*, summa cura semper respiciendum est.

Diaeta lauta et stimulans anteponenda est; cavendum autem est ne plus justo una vice

assumatur ; et summa attentio sedulo adhibenda est, ne aegra res absurdas, enixe tamen exoptatas, devoret. Vina meraciora libere concedi possunt ; nec ulla quae vires reficiunt, et vasa sanguine implent, aliena sunt.

Multum interest ut *Coelum* sub quo aegra degat, calidum et siccum sit ; si enim coelo frigido et humido assueta fuerit, migratio ad aliam terrae regionem sole magis equabili calentem praecipienda est, qua vix aliud praestantius remedium ; hinc, ineunte aestate, puellae chlorosi languescentes saepe reviviscunt.

Exercitatio lenis et regularis, ab *mentis demissae* cura, seorsim minime habenda est ; mens enim generibus exercitii diversis, gratissime occupatur, et malis propriis minus inhaeret. Hinc tempus in peregrinationibus consumere, summis laudibus merito effertur ; nam in his, dum corpus exercitii beneficio fruitur, variae res menti perpetuo oblatae, eam jucundissime detinent. Nullum forsan exercitationis genus equitationi praestat ; saltatio au-

tem, laeto aequalium coetu, et blanda musices dulcedine, ad hunc morbum sanandum plurimum potest. Cujusvis studii jucundioris, cui animum intendat, aegram amore accendere, haud parum proderit; hoc enim modo saepe optime succurritur mordacibus quibus angitur curis. Hoc autem vix fieri potest, dum morbus gravius urget; cum tamen aliis remediis cedere incipit, ad hujusmodi mentis occupationes haud levi cum fructu confugere liceat.

Tertium medendi consilium haud parvi aestimandum, nos ad causas excitantes amovendas perducit: has medicus sedulo anquirere debet, et, si fieri potest, statim tollere, vel malis earum effectibus occurrere. Ex sententia quam de causa hujus morbi Doctor HAMILTON hujus loci, in opere egregio nuper vulgato edidit; de alvo astricta, quam de caeteris causis remotis, fusius dicere necesse habemus. Cum hoc symptoma amenorrhoeam semper comitatur, et periculum est ne diutius perstans vires ita fregerit, ut ad hunc morbum inducendum valeret, nullus fere est medicus quin

ad alvi statum semper respiceret ; et si ratio non defuit, cur morbum ex hac causa esse repetendum crederet, certe ad fortiores alvi purgationem assidue incumberet. Experientia autem Doctoris HAMILTON primum comprobavit, hunc morbum in omni exemplo cathartica esse cessurum, modo ullis remediis auscultet. Mihi solummodo restet exoptandum, ut dies ulterior hanc de eorum virtutibus opinionem confirmet. Gravis certe auctoritas quae hanc sententiam patrocinator, medicos ad cathartica in amenorrhoeae auxilium latius revocanda impellere debet. Cavendum autem est, ne, dum purgantium vires experiri student, corporis debilitatem et morbi vim adaugeant ; nec sane curatio tuto his omnino permitenda est, omnibus aliis remediis posthabitis. Utcunque hoc erit, cathartica in omni casu libere adhibenda sunt ; irritationem enim molestam, et haud parum nocivam tollunt, cujus retentio ad morbum exasperandum multum conferre potest.

FINIS.



